



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 108. Turcarum classis Italiæ vicina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI sibus, quia arcem defendi non possie-
A.C. 1552. dit, convenerit, ut ea destrueretur,
 ne in Gallorum potestatem veniret, aut
 Senenses infructuosi belli continuatione
 externum jugum recipere cogentur.

§. CVIII.

Turcarum classis Italiae vicina.

Sub idem tempus Turcarum classis
 transmissa prospera navigatione fre-
 to Messanensi, die decima Julii Scyla-
 ceum, ac Cerilem duas percelebres A-
 prutii urbes pervenit; inde vero oppidis
 aliquot incensis Policastrum juxta Pal-
 nurum promontorium in Lucanis acce-
 fit, quo pariter incenso, & mox Ca-
 naroto spoliato, & colonis in capti-
 vitate abductis, sinum Salernitanum
 & Capream prætervecta, in Neapolita-
 ni portus conspectum venit. Ibidem
 Dragutes, qui primam aciem ducebat,
 Procitam insulæ arcem, jam antea ab
 Hariadeno Barbarossa incensam, denuo
 combussit: mox & duobus duntaxat
 miliaribus inde distitam Ænariam Insu-
 lam, quæ non modo arce munitissima
 inter duas terras saxo imposita, sed ma-
 xime Mariæ Arragoniæ Alphonfi Dauli
 Vastii viduæ secessu insignis est, petiit,
 unde præfidiariorum virtute repulsus ad
 suos rediit. Inter hæc Toletanus Pro
 Rex

Rex magnis angustiis Neapoli conflicta-
batur, foris & intus obversante oculis
periculosi motus exitu; ideo Hispanos
omnes ex regni præsiidiis evocaverat,
ut se adversus externum hostem tueretur,
cum interea in ipsa urbe ingens quoque
instaret periculum ob clandestina consilia
Salernitani Principis, qui factionem numero
ac potentia insignem conflabat.

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

§. CIX.

*Fugiente Auria quædam naves a Dragute
partim captæ, partim submersæ.*

Interea Turcica classis per Sinum Ca-
jetanum Pontiam Farnesiorum ditio-
nis insulam defertur, ubi Dragutes de
Andrææ Auria adventu certior factus,
factis velis processit, eumque, cum
non tam prope Turcas esse crederet,
oppressit, adeo ut Auria, cum nonnisi
quadraginta Triremes haberet, certami-
mini impar, jam inclinante die retro
vela dare cogeretur tanta celeritate, ut
universa hostium classis eum assequi mi-
nime posset, Dragutes tamen cum sex
expeditioribus navigiis recedentem infe-
cutus, unam ex Aurianis navibus inter-
cepit, & cum totam noctem, majorem-
que diei proximæ partem in persequen-
do

Thuan. l. IX.
n. 3.